gratiæ quod habebat. Et benè cùm dictum eſſet, quia Jeſus proficiebat ſapientiâ, ætate et gratiâ: adjunctum eſt, apud Deum et homines: quia quantùm proficiente ætate, hominibus ſapientiæ et gratiæ, quæ ſibi inerat dona patefaciebat; tantùm eos ad laudem Dei Patris ſemper excitare curabat: peragens ipſe quod cæteris agendum præcepit: luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, et glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.

Lectio IX.

ATQUE ideò non ſolùm apud homines gratiâ et ſapientiâ proficere dicitur, in quantum ipſi ejus ſapientiam, gratiamque potuêre cognoſcere; ſed etiam apud Deum, in quantum ad ejus laudem gloriamque, ſapientiam ac gratiam, quam in eo cognovêre, retulerunt: cujus beneficiis ac muneribus æternis ſit laus et gratiarum actio in omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Te Deum laudamus, &c.

SABBATO

In I. Nocturno.

De libro Apocalypſis beati Joannis Apoſtoli.

Lectio I. *Cap.* 22.

ET oſtendit mihi fluvium aquæ vitæ, ſplendidum tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei et Agni. In medio plateæ ejus, et ex utrâque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum, et folia ligni ad ſanitatem gentium. Et omne maledictum non erit ampliùs; ſed ſedes Dei et Agni in illâ erunt, et ſervi ejus ſervient illi. Et videbunt faciem ejus: et nomen ejus in frontibus eorum. Et nox ultrà non erit: et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine ſolis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, et regnabunt in ſæcula ſæculorum. Et dixit mihi: Hæc verba fideliſſima ſunt, et vera: Et Dominus Deus ſpirituum Prophetarum miſit Angelum ſuum oſtendere ſervis ſuis quæ oportet fieri citò. Et ecce venio velociter. Beatus, qui cuſtodit verba prophetiæ libri hujus.

Lectio II.

ET ego Joannes, qui audivi et vidi hæc. Et postquam audissem et vidissem, cecidi ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat: et dixit mihi: Vide ne feceris: conservus enim tuus sum, et fratrum tuorum Prophetarum, et eorum, qui servant verba prophetiæ libri hujus: Deum adora. Et dicit mihi: ne signaveris verba prophetiæ libri hujus: tempus enim propè est. Qui nocet, noceat adhuc: et qui justus est, justificetur adhuc: et sanctus sanctificetur adhuc. Ecce venio citò, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.

Lectio III.

EGO sum alpha et omega, primus et novissimus, principium et finis. Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni: ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem. Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium. Ego Jesus misi Angelum meum, testificari vobis hæc in Ecclesiis. Ego sum radix, et genus David, stella splendida, et matutina. Et spiritus, et sponsa dicunt: Veni: Et